Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Et id quod in ore eius. Hoc est in confessione fuerat
inventum pro Petro et Domino redderetur. Et pulchre id
ipsum quidem datur pretium, sed divisum est, quia pro Petro quasi pro
peccatore pretium reddebatur. Dominus autem noster peccatum
non fecerat nec inventus est dolus in ore eius. Stater dicitur
qui duo habet didragmata, ut ostenderetur simili-
tudo carnis, dum eodem Dominus et servus pretio liberantur.
Sed et simpliciter intellectum edificat auditorem, dum
tante Dominus fuerit paupertatis, ut unde tributa
pro se et apostolo redderet non haberet. Quod si quis obice-
re voluerit et quomodo Iudas in loculis portabat pe-
cuniam, respondebimus: Rem pauperum in usus suos
convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exem-
plum. In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicen- capitulo 18
tes: Quis putas maior est in regno celorum? Quod sem-
per monui etiam nunc observandum est, cause querun-
de sunt singulorum Domini dictorum atque factorum. Post
inventum staterem, post tributa reddita, quid sibi
vult repentina apostolorum interrogatio? In illa ho-
ra accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas
maior est in regno celorum? Quia viderant pro Petro
et Domino idem tributum redditum, ex equalitate pretii
arbitrati sunt omnibus apostolis Petrum esse prelatum, qui in
redditione tributi Domino fuerat comparatus. Ideo in-
terrogant: Quis maior est in regno celorum? Vi-
densque Iesus cogitationes eorum et causas errorum
intelligens, vult desiderium glorie humilitatis
contentione sanare. Et advocans Iesus parvulum